

C.A.P.E.S.
CONCOURS EXTERNE

Section : LETTRES CLASSIQUES

VERSION LATINE

ARIANE, ABANDONNEE PAR THESEE DANS L'ILE DE DIA, Y RENCONTRE LE CORTEGE DE BACCHUS

Cnosis in ignotis amens errabat harenis,

Qua brevis aequoreis Dia feritur aquis.

Utque erat e somno tunica velata recincta,

Nuda pedem, croceas inrelicata comas,

Thesea crudelem surdas clamabat ad undas,

Indigno teneras imbre rigante genas.

Clamabat, flebatque simul, sed utrumque decebat ;

Non facta est lacrimis turpior illa suis.

Iamque iterum tundens mollissima pectora palmis

'Perfidus ille abiit ; quid mihi fiet ?' ait.

'Quid mihi fiet ?' ait : sonuerunt cymbala toto

Litore, et adtonita tympana pulsa manu.

Excidit illa metu, rupitque novissima verba ;

Nullus in exanimi corpore sanguis erat.

Ecce Mimallonides sparsis in terga capillis :

Ecce leves satyri, praevia turba dei :

Ebrius, ecce, senex pando Silenus asello

Vix sedet, et pressas continet ante iubas.

Dum sequitur Bacchas, Bacchae fugiuntque petuntque

Quadrupedem ferula dum malus urget eques,

In caput aurito cecidit delapsus asello :

Clamarunt satyri 'surge age, surge, pater.'

Iam deus in curru, quem summum texerat uvis,

Tigribus adiunctis aurea lora dabat :

Et color et Theseus et vox abiire puellae :

Terque fugam petiit, terque retenta metu est.

Horruit, ut graciles, agitat quas ventus, aristae,

Ut levis in madida canna palude tremit.

Cui deus 'en, adsum tibi cura fidelior' inquit :

'Pone metum : Bacchi, Cnosias, uxor eris.

Munus habe caelum ; caelo spectabere sidus ;

Saepe reges dubiam Cressa Corona ratem.'

Dixit, et e curru, ne tigres illa timeret,

Desilit ; inposito cessit harena pede :

Implicitamque sinu (neque enim pugnare valebat)

Abstulit ; in facili est omnia posse deo.

OVIDE, *Amatoria*, I, 527-562